[illegible]

Digitized by Google

CONCLUSIONES
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA
JUXTA MENTEM
DOCT. ANGELICI D. THOMÆ AQUINATIS
Publicè defendendæ
IN ECCLESIA S. MARIÆ AD RICCIOS
A Cler. Reg. Paup. Matris Dei Scholarum Piarum
RELIGIOSISS. AC ERUDITISS. P.
IO. FRANCISCO A S. PETRO
EORUMDEM PRÆPOSITO GENERALI
D. D. D.

Domus Polon: Schol. Piar.



FLORENTIÆ, MDCXCIV.
Ex Typogr. Petri Matini ſub Signo Leonis Aurei.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

I Te Theſes Dominam ſine me, Caput Orbis, in Urbem:
Nec ſine me, votis dum ſequor ipſe meis.
Scilicet haud animum Romæ miracula, Romam
Sæpe oculos Mundi quæ rapuere, trahunt.
At Calaſantiacæ, quæ quondam condita Proli
Prima fuit, cultu pauperiore, Domus.
Ite Theſes, Sedem Franciſci, ibi quærite, Terræ
Quem tulit extremis nuncia Fama plagis.
Qui dudum noſtro dignus moderamine, Præſes
Nos præit exemplis, imperioque regit.
Tunc ubi, parve Pium ſteteris Liber, ante Parentem,
Noſtra ſit eloquii Muſa Miniſtra tui.
Accipe, Summe Pater, primoque ſimillime Patri,
Accipe, quas miſit Subdita Dextra, Theſes.
Littera non ſeros tibi noſtra dediſſet honores,
Jamdudum meritis obſequioſa tuis.
Præſule cum primùm Te gauderemus, & omnes
Rectori optarent gaudia ferre ſuo.

Sed vetuit noſtros generoſa Modeſtia plauſus;
Sic Tibi, quæ laudes abſtulit, illa dedit.
Laudari renuis, gaudes, Franciſce, rogari;
Teque rogans laudat, qui ſine laude rogat.
Quàm benè, qui Sophiæ certamina ſuſcipit ergo
Te rogat, Auſpiciis ut tueare tuis!
Auſpice Te, in mediam tutus prodibit arenam,
Vicerit hoſtiles, teque iuvante, metus.
Haud alium decuit ſibi quæſiviſſe Patronum,
Quàm ſibi, quem dederunt ſata ſecunda Patrem.

Humillim in Chriſto Filius
Bernardus à S. Tereſia.

EX LOGICA.

I. LOgica, quæ eſt Scientia ſpeculativa, eſtque neceſſaria ſimpliciter ad alias Scientias in ſtatu perfecto acquirendas, habet pro obiecto formali, & adæquato Ens rationis, quod eſt ſeconda intentio.

II. Vocibus, & conceptibus Vniverſalium verè, & ſimpliciter correſpondet aliqua entitas univerſalis: non quidem, quæ exiſtat à parte rei ſub ſtatu univerſalitatis, ſed quæ per abſtractionem intellectus dicat ita naturam, ut non ſingularitatem. Quare excludimus ſententiam Nominalium, & Platonis.

III. Licet Vniverſale Metaphyſicum fiat per Actum abſolutum, univerſale tamen Logicum fit per actum comparativum per modum ſimplicis apprehenſionis, quo cognoſcitur natura cum ordine, & reſpectu ad inferiora: & hoc eſt quintuplex. Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens.

IV. Natura illa, quæ unum tantùm habet individuum, nec plura poteſt habere, adhuc eſt univerſalis.

V. Ratio ſigni, formaliter loquendo, conſiſtit in relatione ſecundum eſſe. Eſt autem eadem relatio ad potentiam, & ſignatum, ſi unum conſideretur in recto, aliud in obliquo: ſignificare autem nullo modo eſt efficere.

VI. Adæquata, & bona diviſio eſt in decem Prædicamenta, inter quæ requiritur diſtinctio realis, ſaltem modalis.

VII. Numerus eſt vera Species Quantitatis, a qua tamen reijcitur Motus, Locus, Tempus, & Oratio.

VIII. Propoſitiones de futuro contingenti non ſunt determinatè veræ, aut falſæ antecedenter ad determinationem Cauſæ, præſertim Primæ, & independenter ab illa.

IX. In eodem intellectu non poteſt eſſe ſimul Scientia, & Opinio de eodem Obiecto.

X. Præmiſſæ influunt effectivè in Concluſionem, & ſi ſint evidentes, directè neceſſitant intellectum quoad ſpecificationem, & quoad exercitium ad aſſenſum Concluſionis.

EX OCTO LIBRIS PHYSICORUM.

I. PRincipia naturalia ſunt tria, Materia ſcilicet, Forma, & Privatio.

II. Materia prima ita eſt pura potentia, quod caret omni actu formali, & entitativo, quarè implicat, eam exiſtere ſine forma.

III. Eſt adæquata, & univoca diviſio Cauſarum in finalem, efficientem, materialem, & formalem: Eſtque verum illud axioma Philoſophorum Cauſæ ſunt ſibi invicem Cauſæ, ſi intelligatur de cauſis diverſi ordinis.

IV. A duplici Cauſa totali non poteſt dependere idem effectus.

V. Subſtantia operatur medio accidente, tanquam principio proximo, & immediato, nec de poſſibili eſt capax, ut ſit principium immediatè operandi.

VI. Omne, quod movetur ab alio movetur, ita tamen, ut movens, & mobile debeant eſſe ſimul.

VII. Actio tranſiens in agentibus creatis inchoativè eſt in agente, conſummativè in termino, non ſecundum eandem formalitatem. Eſt autem cauſalitas agentis, ut dicit actum ſecundum ipſius agentis, qui eſt ipſa emanatio, ſeù fieri activè, & ſecundum denominationem ab.

VIII. Cauſæ ſecundæ indigent concurſu ſimultaneo Cauſæ primæ in ordine ad omnes ſuos effectus; immò indigent aliqua prævia motione Cauſæ primæ, qua applicentur ad agendum, & hæc eſt Prædeterminatio Phyſica.

IX. Cauſæ inſtrumentalis propria, & formalis ratio conſiſtit in eo, quod operetur, ut mota a principali Agente; itaut ly mota dicat totam virtutem, & rationem operandi. Requiritur tamen ad hoc, ut elevetur ad agendum ultra propriam virtutem, aliqua actio in ipſo inſtrumento, quæ ab ipſo ſecundùm propriam virtutem procedat.

X. Finis ſub ratione Boni tantummodò poteſt finalizare; itaut ipſa Bonitas ſit ratio formalis, & apprehenſio ſit tantùm conditio: Cauſalitas verò Finis eſt primus amor Finis, ut paſſivè pendens ab appetitu, non ut activè elicitus a Voluntate.

Digitized by Google

EX LIBRIS DE COELO, ET MUNDO.

I. MVndus potuit eſſe ab æterno quoad permanentia.
II. Cœli ſunt incorruptibiles ab intrinſeco.

III. Sunt autem undecim, ſpecie diſtincti, ſphærici, & lucidi, rari, & denſi, non tamen graves, aut leves.

IV. Sunt contigui, & ita ordinati, ut proximum nobis, omniumque infimum ſit Cœlum Lunæ, ſecundum Mercurii, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, ſextum Iovis, ſeptimum Saturni, octavum Firmamentum, nonum Criſtallinum, decimum Primum Mobile, undecimum Empyreum. Sunt autem nobibiliores, quò ſuperiores.

V. Admittendus eſt in Cœlo cuiuslibet Planetæ circulus excentricus, & in ipſo circulo excentrico cuiuslibet Planetæ, Sole excepto, admittendus eſt Epicyclus.

VI. Cœli moventur, non terra, ut docebat Nicolaus Copernicus, aſſerens Solem eſſe Mundi centrum: & moventur motu naturali.

VII. Movetur autem Primum Mobile ab Oriente in Occidentem unico motu æquè velociſſimo, ſimpliciſſimo, & uniformi: Cœlum Criſtallinum motu proprio ab occaſu in Orientem: Firmamentum verò motu proprio acceſſus, & receſſus a polis, & ad polos Mundi. Orbibus etiam Planetarum competunt motus proprij in circulis excentricis, præter motum diurnum, & motum retroceſſionis, & titubationis, quibus integri moventur reſpectivè à tribus ſuperioribus.

VIII. Cœli influunt in hæc inferiora per lumen, per motum localem, aliaſque ignotas virtutes: non tamen actus intellectus, & voluntatis nec mediatè, nec immediatè efficiunt, licèt poſſint eis occaſionaliter inſervire.

IX. Nulla virtute creata poteſt cauſari vacuum in Mundo.

X. Duo corpora non poſſunt eſſe naturaliter in eodem loco, nec unum corpus poteſt eſſe in duobus locis circumſcriptivè, etiam de potentia Dei abſoluta.

Digitized by Google

EX LIBRIS DE ORTU, ET INTERITU, SEU DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE.

I. DAtur Generatio ſubſtantialis, quæ eſt actio diſtincta ab alteratione, non tamen diſtincta à Corruptione, itaut Generatio unius ſit corruptio alterius.

II. Eadem accidentia, quæ erant in corrupto, non manent in genito, ſed datur reſolutio uſque ad materiam primam.

III. Intenſio non fit per additionem partis ad partem, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto.

IV. Omne agens agendo repatitur, etiam penes eaſdem partes & ſecundum eamdem contrarietatem qualitatum; quando tamen hæ conditiones concurrunt, quod ſcilicet agens, & paſſum communicent in materia; quod utrumque ſe habeat in potentia ad formam, ſeu effectum alterius; quod ſint intra ſphæras activitatis utriuſque.

V. Idem non poteſt agere in ſeipſum, nec ſimile in ſibi ſimile.

VI. Datur vera mixtio inter Elementa: non tamen manent in mixto actu formæ ſubſtantiales Elementorum, ſed in potentia, & virtualitate, ratione ſcilicet qualitatum ſuarum.

VII. Ex quolibet Elemento poteſt immediaté generari aliud, & non ſolùm mediatè: Eſt tamen facilior tranſitus inter Elementa ſymbola, per ſe loquendo, & ex natura rei, licèt per accidens poſſit oppoſitum contingere.

VIII. Accidentia materialia ſubiectantur in toto compoſito.

IX. Individuatio ſubſtantiæ materialis deſumitur à materia ſignata quantitate, & individuatio accidentium ſumitur à ſubiecto, in quo ſunt, ſeu in ordine ad illud. Quare duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto.

X. Quæcunque res permanens ſemel corrupta non poteſt naturaliter eadem numero redire; poteſt tamen ſupernaturaliter; Res autem ſucceſſivæ ſemel tranſacta, nec per potentiam abſolutam poteſt reproduci.

Digitized by Google

EX LIBRIS DE ANIMA.

I. IN quocumque Vivente datur unicà tantùm forma ſubſtantialis, a qua diſtinguuntur eius potentiæ.

II. Neceſſariò admittendæ ſunt ſpecies intentionales impreſſæ pro potentijs cognoſcitivis; non tamen ſpecies expreſſa pro ſenſibus externis.

III. Licèt ſenſus,& potentia cognoſcitiva paſſivè ſe habeat reſpectu ſpecierum, quibus actuatur, tam in eſſe entitativo, quàm in eſſe intentionali; actuata tamen, & fœcundata ſpecie vice obiecti activè elicit actum cognitionis unica, & indiviſibili elicientiâ, & partu dependente a potentia fœcundata, non autem partialiter concurrente ſpecie, & partialiter potentiâ.

IV. Quantitas, quæ oritur ab Anima ſecundùm gradum corporeum, non reddit ipſam entitatem Animæ diviſibilem etiam per accidens, ad eum modum, quo formæ inanimatæ, vel qualitates corporeæ redduntur extenſæ ratione quantitatis ſui ſubiecti, niſi quando anima ita eſt imperfecta, ut etiam in ipſo munere,& officio animandi diviſibilitatem petat.

V. In Anima rationali neceſſe eſt admitti intellectum agentem diſtinctum a poſſibili, ut ipſi ſpecies impreſſas tribuat.

VI. Obiectum adæquatum intellectus poſſibilis eſt omne illud intelligibile, quod finito modo attingi poteſt: Obiectum autem proportionatum pro hoc ſtatu unionis ad corpus eſt quidditas rei ſenſibilis.

VII. Non tamen poteſt ab eo cognoſci ſingulare directè ſub exercitio, & modificatione ſingularitatis, nec plura per modum pluriũ.

VIII. Intellectio non eſt de prædicamento actionis, ſed de genere qualitatis, & ad ipſam eſt neceſſario productio verbi.

IX. Voluntas, quæ eſt ſimpliciter potentia imperfectior intellectu, movet potentias inferiores, imprimendo aliquid reale in illis. Potentia autem executiva motus progreſſivi eſt diſtincta ab appetitu, habetque actionem diſtinctam, licèt cum ſubiectione, & obedientia.

X. Libertas ſicut dependet a radice intrinſeca, quæ eſt indifferentia iudicij, ita dependet a radice extrinſeca agente, quæ eſt Deus, & ab obiecto indifferenti, circa quod verſatur.

EX

Digitized by Google

EX METAPHYSICA.

I. ENs eſt analogum analogia proportionalitatis propriæ formaliter, licèt virtualiter analogiam attributionis includat.

II. Ens rationis, quod ſecundariò conſideratur a Metaphyſica, non poteſt formari neque a voluntate, neque a ſenſibus externis, neque internis, ſed ab intellectu ſolo, non tamen divino, formaliter loquendo.

III. Gradus Metaphyſici in qualibet re diſtinguuntur ſola diſtinctione rationis, non diſtinctione illa ex natura rei; Quàm nec dari volumus.

IV. Eſſentia in rebus creatis diſtinguitur a parte rei ab exiſtentia; Sufficit autem unica exiſtentia toti compoſito.

V. Poteſt demonſtrari dari Deum.

VI. Creare requirit virtutem infinitam; undè ſolus Deus poteſt creare, nec uti poteſt creatura, ut inſtrumento ad creationem. Eſt autem creatio eiuſdem rationis in ſimplicibus, & compoſitis; unica enim actione producitur totum, & partes.

VII. Veritas conſiſtit in indiviſibili, nec ſuſcipit magis, nec minus, formaliter loquendo.

VIII. Scientia totalis eſt unus habitus ſimplex in ordine ad omnia obiecta, ad quæ ſe extendit. Sumitur autem unitas, & diſtinctio ſcientiarum generaliter loquendo ex diverſa immaterialitate, & abſtraction.

IX. Idem habitus ſpecificus eſt ſcientia ſubalternata, quando continuatur cum ſubalternante, & quando non continuatur: Habet tamen ſtatum imperfectum ſcientiæ ex parte ſubiecti, quamdiù de facto non poteſt reſolvere in prima principia, mediante Scientia Subalternante.

X. Dantur Subſtantiæ ſpirituales completæ, ſcilicet Angeli, qui non fuerunt producti ab æterno, ſed quo tempore Mundus conditus eſt: Omnes autem differunt inter ſe ſpecie, itaut intra eamdem ſpeciem non multiplicentur, nec per abſolutam Dei potentiam multiplicari poſſint.

Digitized by Google

EX ETHICA.

I. VNus eſt ultimus finis formalis humanarum actionum, nec poſſunt eſſe plures.

II. Beatitudo naturalis huius vitæ, ſita eſt in excellentiori contemplatione Perfectionum Dei, ut Auctoris naturalis, eiuſque Dilectione. Beatitudo autem futuræ vitæ conſiſtit eſſentialiter in clara Dei Viſione, ex qua ſequitur conſummata eius Dilectio, tamquam proprietas.

III. Mo alitas conſiſtit in ordine traſcendentali ad obiectum regulis morum ſubiectum; unde formale malitiæ, & peccati conſiſtit in poſitivo, importante tamen in obliquo privationem.

IV. Diviſio Moralitatis in Bonitatem, & Malitiam eſt adæquata; nec datur tertia Species: neque datur actus indifferens in individuo.

V. Actus humani deſumunt primam, & ſpecificam moralitatem ab Obiecto diſtinctam a Moralitate deſumpta a circumſtantijs.

VI. Idem actus voluntatis non poteſt ſimul, & eodem tempore diverſas ſpecies moralitatis habere, & eſſe bonus ex obiecto, & malus ex fine, vel è contra malus ex obiecto, & bonus ex fine.

VII. Ad humanorum Actuum Moralitatem non ſufficit libertas a coactione, ſed requiritur libertas indifferentiæ. Indifferentia autem contradictionis eſt de eſſentia libertatis, ſecus verò indifferentia contrarietatis.

VIII. Vo untas nulla indiget virtute ſuperaddita ad attingendum bonum honeſtum proprij ſuppoſiti.

IX. Intellectus eſt ſubiectum Prudentiæ: Fortitudo, & Temperantia reſident in appetito ſenſitivo; Iuſtitia autem in Voluntate.

X. Virtutes Morales ſunt omnes inter ſe connexæ, tùm ratione Prudentiæ, tùm ex propria cuiuſque natura, quando ſunt in ſtatu perfecto.

LAUS DEO.

EX METAPHYSICA.

I. ENs eſt analogum analogia proportionalitatis propriæ formaliter, licèt virtualiter analogiam attributionis includat.

II. Ens rationis, quod ſecundariò conſideratur a Metaphyſica, non poteſt formari neque a voluntate, neque a ſenſibus externis, neque internis, ſed ab intellectu ſolo, non tamen divino, formaliter loquendo.

III. Gradus Metaphyſici in qualibet re diſtinguuntur ſola diſtinctione rationis, non diſtinctione illa ex natura rei; Quam nec dari volumus.

IV. Eſſentia in rebus creatis diſtinguitur a parte rei ab exiſtentia; Sufficit autem unica exiſtentia toti compoſito.

V. Poteſt demonſtrari dari Deum.

VI. Creare requirit virtutem infinitam; undè ſolus Deus poteſt creare, nec uti poteſt creatura, ut inſtrumento ad creationem. Eſt autem creatio eiuſdem rationis in ſimplicibus, & compoſitis; unica enim actione producitur totum, & partes.

VII. Veritas conſiſtit in indiviſibili, nec ſuſcipit magis, nec minus, formaliter loquendo.

VIII. Scientia totalis eſt unus habitus ſimplex in ordine ad omnia obiecta, ad quæ ſe extendit. Sumitur autem unitas, & diſtinctio ſcientiarum generaliter loquendo ex diverſa immaterialitate, & abſtraction.

IX. Idem habitus ſpecificus eſt ſcientia ſubalternata, quando continuatur cum ſubalternante, & quando non continuatur: Habet tamen ſtatum imperfectum ſcientiæ ex parte ſubiecti, quamdiù de facto non poteſt reſolvere in prima principia, mediante Scientia Subalternante.

X. Dantur Subſtantiæ ſpirituales completæ, ſcilicet Angeli, qui non fuerunt producti ab æterno, ſed quo tempore Mundus conditus eſt: Omnes autem differunt inter ſe ſpecie, itaut intra eamdem ſpeciem non multiplicentur, nec per abſolutam Dei potentiam multiplicari poſſint.

Digitized by Google

EX ETHICA.

I. VNus eſt ultimus finis formalis humanarum actionum, nec poſſunt eſſe plures.

II. Beatitudo naturalis huius vitæ, ſita eſt in excellentiori contemplatione Perfectionum Dei, ut Auctoris naturalis, eiuſque Dilectione. Beatitudo autem futuræ vitæ conſiſtit eſſentialiter in clara Dei Viſione, ex qua ſequitur conſummata eius Dilectio, tamquam proprietas.

III. Moralitas conſiſtit in ordine traſcendentali ad obiectum regulis morum ſubiectum; unde formale malitiæ, & peccati conſiſtit in poſitivo, importante tamen in obliquo privationem.

IV. Diviſio Moralitatis in Bonitatem, & Malitiam eſt adæquata; nec datur tertia Species: neque datur actus indifferens in individuo.

V. Actus humani deſumunt primam, & ſpecificam moralitatem ab Obiecto diſtinctam a Moralitate deſumpta a circumſtantijs.

VI. Idem actus voluntatis non poteſt ſimul, & eodem tempore diverſas ſpecies moralitatis habere, & eſſe bonus ex obiecto, & malus ex fine, vel è contra malus ex obiecto, & bonus ex fine.

VII. Ad humanorum Actuum Moralitatem non ſufficit libertas a coactione, ſed requiritur libertas indifferentiæ. Indifferentia autem contradictionis eſt de eſſentia libertatis, ſecus verò indifferentia contrarietatis.

VIII. Voluntas nulla indiget virtute ſuperaddita ad attingendum bonum honeſtum proprij ſuppoſiti.

IX. Intellectus eſt ſubiectum Prudentiæ: Fortitudo, & Temperantia reſident in appetitu ſenſitivo; Iuſtitia autem in Voluntate.

X. Virtutes Morales ſunt omnes inter ſe connexæ, tùm ratione Prudentiæ, tùm ex propria cuiuſque natura, quando ſunt in ſtatu perfecto.

LAUS DEO.

by Google